



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

643. An, & qualiter Cardinalis post dimissum Episcopatum pergat ex indulto conferre beneficia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

atione, an illicd cessent per dimissionem; an verò expectandum tempus effectuationis.

Questio 643. An, & qualiter igitur Cardinalis post dimissum Episcopatum pergat ex indulto, ut passim fit, conferre beneficia?

Respondeo: Cardinalibus, qui habent Episcopatum in commendam, vel aliàs, dum eis renunciant, passim solet concedi indultum speciale novum conferendi beneficia istius Episcopatus in 8. mensibus spectantibus ad Papam, in aliis verò mensibus ea conferri ab Episcopis. Paris. l. 7. q. 12. n. 24. Card. de Luc. de benef. d. 2. n. 1. vel, ut ait Card. de Luca, de benef. d. 31. n. 1. quo præservetur eadem indultaria facultas, quam dam Episcopi errant, habuerant, restricta solum dictâ facultate ad Ecclesiam ultimo loco dimissam, si plures eum habere & dimittere contingeret Ecclesias, juxta consuetudinem Urbani VIII. Porro tradit, & probat idem Card. in cit. d. 31. n. 7. & seq. quòd quidquid sit de stricta juris censura (juxta quam Cardinalis indultarius, dimisso Episcopatu, jus illud conferendi magis habere dicitur ex novo indulto particulari, & extraordinario) ex verisimili intentione tam Papæ admittentis, quam Cardinalis dimittentis Episcopatum jus conferendi in 8. mensibus pontificiis, quod jam Cardinalis indultarius habebat, non dicitur assequi ex novo jure delegationis, & ex novo indulto particulari, seu extraordinario, quod de super expediri solet; sed potius jure retentionis, vel non dimissionis dictâ primavæ Episcopalis, seu ordinariæ facultatis, perinde ac si ad hunc effectum adhuc esset Episcopus, adeoque ei competat (ut aliàs competit Ordinario) conferre beneficia dictis mensibus Papalibus Sede Papali vacante. Rationem hujus suæ doctrinæ dat, quòd, dum hujusmodi Episcopatum dimissiones, quas faciunt Cardinales cum reservatione fructuum (assignatâ solum novo Episcopo congruâ, ita ut Cardinalis resignans dicatur percipere fructus tanquam dominus beneficii, & tanquam per continuationem antiquæ possessionis vel juris, perinde ac si non resignasset, ut Paris. de resign. l. 6. q. 1. num. 17. & alter Paris. cons. 39. vol. 4. Mandos. ad reg. de annali. q. 30. n. 1. &c.) ac etiam collationis beneficiorum, admittantur in Cardinalium gratiam cum illis conditionibus, in quibus conveniant cum iis, qui de Ecclesiis providendi sunt; adeò ut quamvis Papa dicere soleat se facere omnia motu proprio, in effectu tamen totum sequi videatur ex conventionione inita inter resignantem & resignatarium, vi cuius hic contentus esse debeat collatione 4. mensium, reliquis remanentibus penes resignantem jure primavæ, & continuatio per non dimissionem illius. Aitque idem Card. his obtare non posse, quòd hodie dum vi consuetudinis Urbani VIII. de qua supra, habentes istiusmodi indulta non dicantur conferre jure ordinario, sed delegato, eò quòd hæc constitutio, cum procedat in favorem Indultariorum, dum in vim indulti majorem accipiunt facultatem conferendi, nimirum per se solos beneficia conferenda aliàs per electionem, præsentationem, vel simultaneam collationem Capitulorù; adeoque trahi non debeat in odium eorum, dum extenderetur quoque ad alios casus: vide de hoc plura apud Card. de Luc. de benef. d. 2. ferè per tot.

Questio 644. An, & qualiter indultum concessum Cardinali Episcopo suffragetur etiam Capitulo habenti simultaneam collationem, vel electionem cum dicto Cardinali?

Respondeo primò: præscindendo à declaratione seu constitutione Urbani VIII. de qua paulò post, Indultum illud, utpote removens solum obstacula reservationum, & conservans Cardinalem ordinarium Collatorem in sua potestate ordinaria; non autem ampliand eandem potestatem, ita ut solus possit conferre in præjudicium simultaneæ collationis, non secus ac exceptio, quâ Cardinalis ordinarius collator in ipsa regula excipitur à reservationibus mensium, suffragatur etiam Capitulo habenti simultaneam (secus est de indulto, quod habent Cardinales non ordinarii collatores, de quo intelligendus Cassador decis. 8. de præb. & prout intelligunt Gonz. gl. 24. num. 66. Moneca &c. apud Lott. l. 2. q. 21. n. 104.) cujus ratio est, quod in individuis, quod quis per alium retinet, quod per se retinere nequit. Argumento l. si communè fundum &c. & quod, ut inquit Paulus in l. aristo. ff. que res pignori oblig. poss. quandoque quis id, quod ex sua persona non habet hoc per extraneum habere potest. Et ubi duo sunt socii, propter eum, qui capax est, & alter capit per consequentiam, qui aliàs est incapax. Lott. loc. cit. à num. 103. referens quamplurimas pro hoc Rota decisiones, uti & sic quondam judicatum esse pro hoc testatur Tond. in qq. benef. p. 2. c. 3. §. 2. num. 13. vide etiam Card. de Luc. de benef. d. 1. n. 35. & Garciam p. 5. c. 1. n. 627. Verùm

2. Respondeo secundò: quidquid de hoc fuerit quondam, (quamvis & hoc ipsum de indulto speciali ultra exceptionem illam in regula positam, concessio Cardinalibus conferendi tanquam reservata, quòd per illud Capitulo conservata fuerit simultanea, negare, & de sola exceptione posita in regula id admittere videatur Lott. loc. cit. n. 122.) hodie dum dicendum absolute contrarium ob consuetudinem Urbani VIII. editam 29. Decemb. 1625. & publicatam 10. Sept. 1626. que est in Bullar. 59. (quam verborè recitatam vide apud Lott. loc. cit. nu. 126.) sic expressè declarantis & statuentis: nimirum neque in istiusmodi indultis, neque vi exceptionis, de qua regula, conservari ullatenus Capitulis, simultaneam, aut jus nominandi eligendive; nihilque hæc suffragari collatoribus aliis ordinariis inferioribus, ita ut hi habentes aliàs simultaneam collationem nihil omnino sub prætextu hujus facultatis de istiusmodi indulto & privilegio participare queant. Sed Cardinales Præsules de omnibus ac singulis beneficiis, quomodolibet nuncupatis, & qualificatis ad ipsorum, etiam cum alio, collationem, præsentationem, electionem, similemve, aliam aut dissimilem dispositionem spectantibus (modo non sint descripta in libris Cameræ, aut familiarium, aut vacantia apud Sedè) posse solos per se ipsos, aut alios ab ipsis deputandos liberè sine Capitulo, aliisve quamlibet dispositionem conjunctim vel divisim cum iisdem Cardinalibus habentibus de iis providere. Lott. loc. cit. num. 125. Tond. loc. cit. n. 36. qui etiam addit n. 37. per dictam constitutionem indultarios hos dici conferre dicta beneficia spectantia aliàs ad simultaneam cum aliis collationem jure delegato, & vice Papæ; cum detur per hanc iis ampliùs, quam quòd iis priùs competeat, nimirum, ut soli conferant.

Quæ